


Johann Peter Schmidt

Programma Fvnebre, Qvo Academiae Rostochiensis Rector, Iohannes Petrus Schmidt ... Viri Plurimum Reverendi, Religiosissimi Atque Doctissimi, Domini Io. Balthasaris Niehenckii, Philosophiae Ac Liberalium Artium Magistri ... Ac Matronae Praenobilissimae, Omnibusque Sexus Sequioris Virtutibus Ornatissimae, Drvdae Lvcretiae Siriciae, Viduae Moestissimae ... Hunc Obitum Iam Lvgenti, Solativum Efficacissimum Adprecatvrvs, Civibus Academiae O. O. Honoratissimis Memoriam Beati Nostri In Exemplum Aliis Imitandum Pro Eo, Ac Debet, Proponit

Rostochii: Typis Ioh. Iacobi Adleri, [1738?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1796879843>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,
meist Forderungen in dazujen bürgerl. Familien betr.

(Zinsvertrag in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
i. O.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





Handwritten numbers and text from the adjacent page, including a list of numbers from 1 to 34.


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Isabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Panben. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoeppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



PROGRAMMA FVNEBRE,

QVO

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS RECTOR,

IOHANNES PETRVS Schmidt,

IVR. VTR. DOCT. ET CODICIS PROF. PVBL. ORD.

PIIS MANIBVS

VIRI

PLVRIMVM REVERENDI, RELIGIOSISSIMI

ATQVE DOCTISSIMI,

DOMINI

IO. BALTHASARIS

NIEHENCKII,

PHILOSOPHIAE AC LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI

PRÆCELLENTISSIMI, ET AD AEDEM, VIRGINI MARIAE

SACRAM, VERBI DIVINI MINISTRI OPTIME

MERITI,

MONIMENTVM LAVDIS DEBITAE ET NUMQVAM

INTERMORITVRAE CONSECRATVRVS,

AC

MATRONAE PRAENOBILISSIMAE, OMNI-

BVSQVE SEXVS SEQVIORIS VIRTVTIBVS

ORNATISSIMAE,

DRVDAE LVCRETIAE

SIRICIAE,

VIDVAE MOESTISSIMAE,

VT ET

RELIQVAE FAMILIAE SPLENDIDISSIMAE,

HVNC OBITVM IAM LVGENTI, SOLATIVM

EFFICACISSIMVM ADPRECATVRVS,

CIVIBVS ACADEMIAE O. O. HONORATISSIMIS

MEMORIAM BEATI NOSTRI

IN EXEMPLVM ALIIS IMITANDVM PRO EO, AC DEBET,
PROPONIT.

ROSTOCHII,

Typis IOH. IACOBI ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

PROGRAMMA FVNBRE

ACADEMIE ROSTO
IOHANNES PETER

REVIVVM REVERENDI
ATQVE DOCTRINI

DOMINI
IOHANNES PETER

MEMORIAM
THEOPHILACI

MATRONE PRABO

DAVIDA

VIDVA

MEMORIAM

IN





Maximis Rempublicam Christianam acerbitatibus
 nostro praesertim aevo adfligi, quotidiana experientia
 tristissimis confirmat documentis. Tanta etenim tam-
 que multiplex haeresium ac falsarum opinionum hodie
 datur copia, ut, si cui centum linguae essent oraque
 centum, omnes tamen pestiferos ac venenatos errores,
 qui nostris temporibus gliscunt atque feruent, percen-
 sere vix ac ne vix quidem posset. Modo alii sub prae-
 textu pietatis promouendae pestifera falsorum dogmatum venena spar-
 gunt atque disseminant; modo alii, in religionis negotio externam
 vitae integritatem utramque paginam facere, indeque nullam doctri-
 narum ac veritatum rationem habendam esse, blaterant; modo alii
 omnem in rebus sacris cognitionem à lumine interno, quod fingunt
 atque iactant, expectandam esse existimant, & aliis persuadere conan-
 tur; modo alii alia dogmatum monstra gignunt atque portenta, qui-
 bus enumerandis immorari nolo. In hoc miserrimo Ecclesiae statu
 Theologi *γνησίως* Lutherani partes officii sui haud postremas, sed omni-
 no primas esse ducunt, ut ore calamoque veritatem diuinitus patefa-
 ctam propugnent, errores evertant, ipsos errantes, si fieri potest, in
 viam reducant, & minimum eos, qui erroribus nondum sunt comma-
 culati, in puriore doctrina confirmant. Quae cum ita sint eo acerbior
 luctu funera Theologorum, *ὀρθοδοξίας* amantissimorum, & pietati haud
 fucatae operam nauantium, prosequimur, quo maior est eorum nume-
 rus, qui coetum Christianorum falsa doctrina turbant, & pessima vi-
 uendi ratione offendunt.

Nemo itaque nostrum, Cives Academiae O. O. Honoratissimi, mirabitur, si apud nos in Vrbe, in Academia, in sacro verbi diuini Antistitum ordine, oculos lacrimis madentes, voces lamentationibus repletas, & pectora dolere obstupefacta conspexerit, audiuerit, cognouerit. Morte enim est conspectu nostro ablatum est *Vir Plurimum Reverendus, Religiosissimus atque Doctissimus*, DOMINVS JOHANNES BALTHASAR NIEHENCK, *Philosophiae Magister Fulgidissimus, & Ecclesiastes ad aedem, Virgini Mariae sacrum, Vigilantissimus*, qui orthodoxiae zelo, meritorum splendore, vitaeque integritate cessit nemini. Vix autumo in tota ciuitate nostra quemquam esse, quem non adficiat desiderium tam cari capitis & omni virtutis laude ornatissimi. Tantum quidem abest, vt sortem Nostri, ad coelestem academiam vocati, & in Ecclesiam triumphantem translati, lugeamus, vt potius felicitatem Ipsius congratulationibus prosequamur. Nostrae vero conditioni illacrumandum esse censemus, qui verbi diuini Ministrum, de coetu, cui diuinitus praefectus erat, meritissimum, adeoque vita longiore dignissimum, amisimus. Ne autem dolori nostro nimium indulgeamus, sed vulnere, quod ex huius Viri obitu accepimus, inueniamus remedium, in meritorum eius atque virtutum contemplatione solatium quaeremus. Nostrum etenim erit, vt B. NOSTRI memoriam atque laudes commendemus posteritati, eiusque virtutes nobis in imitationem proponamus. Hoc modo vt memoriam doctorum, de Ecclesia CHRISTI bene meritorum, conseruemus, diuina a nobis exigit voluntas, Ebr. XIII. v. 7. ita praecipiens: *Mementote ductorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem DEI, quorum intuentes exitum conuersationis imitami fidem.* Liceat mihi, pro officii Rectoralis ratione laudibus B. NOSTRI NIEHENCKII parentanti, ex tenore huius oraculi diuini commonstrare, quo pacto nos, in B. NOSTRI merita intenti, eius memoriam conseruare, piisque Manibus nos gratos atque deuotos exhibere queamus. Non temere quisquam a me exspectabit dicti huius explicationem, quandoquidem eiusmodi labor, a foro & scopo meo alienus, ad Theologorum pertinet *ἀκριβειαν*, ad quam cupidos remitto lectores. Quantum vero clarissimae oraculi memorati circumstantiae ostendunt, Apostolus Ebraeis praecipit, vt in vera fide & pietatis, DEO placentis, studio diligenter crescant & constanter perseuerent. Iam in v. 7. praecipit addit doctorum exempla, quae sunt veluti viuae & ante oculos depictae regulae, Ebraeisque auctor est, vt horum doctorum memoriam sedulo seruent, ipsorum fidem, patientiam, aliasque virtutes sollicite imitentur, & conuersationis exitum, hoc est, beatum ipsorum est vita discessum, perpetuo sibi ob oculos ponant. Fortassis digitum intendit Apostolus ad magnos illos, quorum cap. XI. mentionem fecerat, fidei heroes, aliosque siue Prophetas siue Apostolos, eos praesertim, qui veritatem doctrinae coelestis sanguine suo obsignarunt. Hos non solum v. 7. sed etiam infra v. 17. & 24. adpellat *ἡγουμένους*, duces, quoniam Ebraeis praeiuerant doctrina, exemplo, & precibus, vel, vt ipse textus *θεόπνευτος* explicat, qui ipsis locuti erant sermonem DEI. Dum vero verba Apostoli, praecipientis, vt Ebraei ductorum suorum sint memores, vt ipsorum vestigia legant, vt ipsorum considerent conuersationis exitum, in praesenti scriptionis genere ad animi lancem exigo, videor mihi commodam nactus occasionem Vobis, Cives Academiae O. O. Honoratissimi,

commonstrandi, "qua" ratione B. NOSTRO NIEHENCKIO officium, quod iam supremum est, praestare queamus. Per partes vero cum hic sit eundem, primum erit, vt B. NIEHENCKII, doctoris nostri atque ductoris, memores simus. Et quemadmodum alias memoria iusti est in benedictione, ita quoque huius Nostri memoria nobis numquam non gratissima fit atque iucundissima. Tuabit autem memoriam Nostri NIEHENCKII per totum vitae Ipsius spatium summatim repetere, & ab ipsis auspicari incunabulis.

Suauissimam huius vitae lucem Noster primum adspexit Rostochii anno reparatae salutis MDCLXXX. die 23. Maii, mox saluari baptismatis aqua ablutus. PATREM veneratus est *Virum Summe Reuerendum atque Doctissimum* DN. GEORGIVM NIEHENCK, *tam munerum varietate, quam meritorum copia maxime conspicuum, & tandem aedis Mariae Pastorem optime meritum, cuius vitam, scripta & fata praeter Programma funebre strictim exhibent ZACHARIAS GRAPIVS in dem Evangelischen Rostock, p. 199. sq. & die gelehrte Fama anni 1715, p. 292. sqq. ; MATREM vero CATHARINAM KOENIGS, sexus feminei decus & ornamentum.*

In linea paterna AVVS Ipsi exstitit *Nobilissimus & sollertissimus* DN. HENRICVS NIEHENCK, *apud Luneburgenses Cuius Primarius & Mercator florentissimus; AVIA autem Femina Lectissima, & omni virtutis laude ornatissima, ELISABETHA PARISIA.*

In stemmate paterno ad proavos, abavos, atavos, tritavos aliosque, maiorum nomine insigniri solitos, ascendere haud possumus, quoniam de illis nihil certi ad nos perlatum.

Progredimur itaque ad stirpem B. NOSTRI maternam, in qua Ipsi diuina prouidentia dedit AVVM omnium saeculorum praedicatione dignissimum, *Virum Summe Reuerendum, Excellentissimum atque Doctissimum, DN. IOH. FRID. KOENIG, S.S. Theol. Doctorem & Professore Ducal. Publ. Ord. in hac Alma Varno-Balthica longe celeberrimum, Consistorii Ducalis Adfessorem, districtus Mecklenburgici & Ducatus Ratzeburgici Superintendentem Vigilantissimum, Theologum etiam post fata in Academia nostra quotidie loquentem. AVIAM originis maternae salutauit MARGARETHAM RHAWEN, Matronam omnibus virtutibus, sexum sequiorem condecorantibus, ornatissimam.*

PROAVVS stirpis maternae in linea superiori fuit *Nobilissimus atque Spectatissimus* DN. MARTINVS KOENIG, *Cuius Dresdensis & Mercator Primarius; PROAVIA vero Femina Nobilissima atque Lectissima MARGARETHA DANTZGESCHIRIN.*

PROAVVS stemmatis materni in linea inferiori ex prouida DEI cura Ipsi datus est *Vir Summe Reuerendus atque Doctissimus* DN. BALTHASAR RHAW, *S.S. Theol. Licentiatus & Prof. Publ. Ord. in Academia Gryphica famigeratissimus, Consistorii Regii Adfessor aedisque Marianae Pastor meritissimus, & tandem apud Stralsundenses ad aedem Nicolai Pastor & Superintendens Vigilantissimus. PROAVIA autem huius lineae inferioris Ipsi contigit Femina generis nobilitate & virtutum ornamentis vere nobilitata, CATHARINA de KRAKEVITZ.*

ABAVVS originis maternae in linea superiori Ipsi fuit *Vir Summe Reuerendus atque Doctissimus* DN. IOH. KOENIG, *Antistes Dresdensium*

B

Grä-

Grauiſſimus; Et ABAVIA *Femina Praenobiliffima* ac tam *Familiae ſplendore,*
quam *virtutum decore* praefantiffima MAGDALENA BALDVINA.

ABAVVS denique ſtemmatis materni in linea *inferiori* exſtitit
Vir Illuſtris, Excellentiffimus atque Conſultiffimus, DN. AVGVSTINVS
RHAW, *Sereniffimi Pomeran. DVCIS in Academia Gryphiswaldenſi Can-*
cellarius & Profeſſor Iuris celeberrimus. De ABAVIA in hac linea *inferiori*
nihil certi nobis innotuit.

Ex hac familia, multis ornamentis inſigni, vt originem duxit
NOSTER *ὁ μακαρίτης,* ita ſtatim à puero eam vitae rationem ingreſſus
eſt, vt virtute ſua conniteretur maiorum ſuorum ſplendori incremen-
tum addere & perpetuitatem. Vix amantiffimi parentes ingenium ſtu-
diorum capaciffimum è iucundis puerilis prudentiae praeludiis in filio
ſuo animaduertent, cum prouide circumſpicerent praeceptores, quo-
rum fidei hunc filium ſuum concrederent. Quia autem imbecilliore
& vacillante vſus eſt valetudine, optimi parentes illum non publicarum
ſcholarum magiſtris, ſed domeſticis tradidere praeceptoribus, vt cum
primis elementis timorem DOMINI, omnis ſapientiae initium, & hinc
eas litteras, quae humaniores vocantur, perdiſceret. In his ſtadiis tiro-
cinia ingenii ſucceſſu poſuit adeo felici, vt Parentibus a que praecepto-
ribus certa adfulſerit ſpes, eum talem futurum, qualis poſtea cognitus
eſt. Eos in elegantiorum litterarum ſtudiis cum feciſſet progreſſus, vt
cum fructu poſſet maiora auſpicari, annuente optimo Patre A. O. R.
MDCXCIX, Almae Roſtochienſi nomen dedit, RECTORE Academiae
Magnifico DN. MATTHIA STEIN, *I. V. D. & Codicis Profeſſore Publ.*
Ord. celeberrimo. Praecipuo quodam NVMINIS adflatu percuſſus ad di-
uinarum rerum intelligentiam animum adpulit, duces naſtus plane
egregios, IOH. FECHTIVM, IOH. NICOLAVM QVIſTORPIVM,
ANDR. DAN. HABICHHORSTIVM, IOH. PETRVM GRVNEN-
BERGIVM, & ZACH. GRAPIVM. Auſpiciis horum (o quanta in
orbe litterato nomina aut potius lumina!) in ſtudiis Theologiae The-
ticae, Polemicae, Exegeticae, Moralis, Symbolicae & Cauiſticae, nec
non Hiftoriae Eccleſiaſticae & Artis Homileticae ita verſatus eſt, vt
vberrimum fructum Ipsi liceret ad conſcientiam referre. Et ne illotis,
quod aiunt, manibus rerum diuinarum ſacra turbaret, peſtus Philolo-
giae & Philoſophiae ſcientia bene praeparatum ad haec ſublilmiora at-
tulit. In excolendis ſtudiis, ad Philologiam & Philoſophiam pertinen-
tibus, potiffimum pependit ab ore M. POETKERI, M. HALTER-
MANNI & fratris germani atque cariffimi, GEORGI FRID. NIEHEN-
CKII, tunc magno cum fructu ſtudioſam iuuentutem in hac Academia
docentis, hodie vero *SS. Theol. Doctoris, & Paſtoris Gothoburgenſis Prima-*
rii, nec non Conſiſtorii Regii Adſeſſoris Grauiſſimi, quem DEVS adhuc per lon-
gam annorum ſeriem in purioris doctrinae deſenſionem incolumem
atque ſuperſtitem eſſe iubeat. Quantam his ducibus eruditionis copiam
atque varietatem, DEO benedictionem concedente largiffimam, ſua
industria ſuiſque vigiliis ſibi pepererit, non privatim ſolum, verum et-
iam publice variis oſtendit ſpeciminibus. In primis in Collegio Diſpu-
tatorio, quod ſupra laudatus DN. HABICHHORSTIVS in Libros Ec-
cleſiae Euangelico-Lutheranae Symbolicos aperuit, ſtatis vicibus ſpar-
tam opponentis aut respondentis egregie ornauit. Nec erat, cur pu-
blicum

blicum extimesceret conflictum; quapropter sub praesidio amantissimi & eruditissimi fratris, DN. G. F. NIEHENCKII, disputationem de *Δοκιμασία Spirituum*, respondentis partes sustinens, mascule propugnauit. Hinc Amplissima Facultas Philosophica Ipsum iudicauit dignum, quem honoribus Magistri maeraret decoraretque, id quod *Decano & Brabente Viro Summe Reuerendo atque Doctissimo* DNO. HENRICO CHRISTIANO TIELKE, *SS. Theol. Doctore & Eloquentiae Prof. Duc. Publ. Ordinario* anno post partum Virginis MDCCIV. bono factum est omine. Hisce eruditionis opibus locupletatus, hisce ornatus honoribus, Academiam salutauit Gryphiswaldensem, & Magnifico RECTORE DN CASPARO MARCHIO, *Artis Salutaris Doctore & Professore Publ. Ord. famigeratissimo*, anno aerae Christianae MDCCV, die 29. Aprilis in numerum Cuium Academiae istius receptus est. Per biennium & quod excurrit in hac Musarum sede NIEHENCKIUS commoratus, coeptam telam pertexere salegit. Eruditionis copias ipsi suffecerunt Viri in orbe litterato, si qui alii, notissimi, IOH. FRID. MAYERVS, Vir doctrinae amplitudine, eloquentiae praestantia, munerum dignitate & auctoritatis pondere nulli secundus: nec non IOH. PHIL. PALTHENIUS, Polyhistoris fama longe celeberrimus, quorum ille NOSTRO singularem exhibuit fauorem, & in omnibus Theologiae partibus, praesertim in Theologia Polemica campum, in quo ipsius eruditio excurret latius, aperuit; hic vero NIEHENCKIUM, hospitio & conuictu amantissime exceptum, omnibus, ad rem litterariam pertinentibus, quam diligentissime locupletauit. Hac in Academia Gryphica cum aliquamdiu in studia strenue incubuisset, impetum quoque cepit peregrinandi, non vt pulchris & munitis vrbibus, aut aedificiorum splendore oculos pasceret, sed vt in virorum, doctrina praestantium, familiaritatem perueniret, vt eruditos ipsorum sermones in vsum suum conuerteret, vt locupletissimas bibliothecas oculis vsurparet, ac, si fieri posset, perlustraret, & (liceat mihi omnia vno quasi fasce complecti) vt prudentiam augetet & doctior rediret. Anno itaque MDCCVI. cum itineris comitem se Ipsi adiunxisset Cl. IEREMIAS PAPKE, DEO duce in viam se dedit. Primum quidem adiit Berolinum, vbi quidquid tunc temporis in aula, in templis, in palatiis, in museis magnificum atque splendidum habebatur, & peregrinantium excitare poterat admirationem, id vidit, cognouit, suspexit. Quoniam enim NOSTER, vna cum Cl. DN. PAPKEN & quibusdam aliis, se adiunxerat Generosissimis DOMINIS à LAGERSTROEM, qui cum studiorum suorum praefecto in Saxoniam contendebant superiorem, in castris Potentissimi Sueciae REGIS, CAROLI XII. ea, quae notatu maxime digna erant, lustraturi, & in hocce itinere Berolinum quoque salutabant; Licebat ipsi esse adeo felici, vt Berolini in solemnitatibus, eo ipso anno ibidem celebratis, aulae pompas spectaret. Seriem eorum, quae ibi Ipsum in admirationem rapuerunt, B. NOSTER propria manu consignauit, quae commemoratio legentis animum omnino valet aliqua iucunditate retinere. Qua etiam humanitate, quibus beneuolentiae documentis, Pastor quidam Primarius, Religioni Euangelico-Lutberanae addictus, Nostrum NIEHENCKIUM exceperit, verbis praedicat amplissimis. Eo tempore Berolini commorabatur, aut potius vagabatur famosissimus ille

IOH. CONR. DIPPELIVS, sub nomine *CHRISTIANI DEMOCRITI* alias latitans. Percupiebant itaque *NOSTER* eiusque fidelissimus itineris comes *DN. PAPKE*, vt virum, quem Theologorum orthodoxorum flagellum merito dixeris, viderent, & cum eo sermones caederent. At vero vix poterant voti sui compotes fieri. Initio enim diu multumque, vbi *DIPPELIVS* esset, perquisiuerunt, sed hominem, huc illuc vagantem, offendere haud potuerunt. Tandem repertus *DIPPELIVS* satis vrbanius visus est, hosce hospites primum excipiendo. Cum vero intellexit, sibi cum viris, orthodoxiae addictis, negotium fore, magis mutus fuit, quam piscis. *NOSTRO* interim silentium rumpente, & de scripto, quod *Cel. IOH. FRID. MAYERVS* eo ipso anno sub titulo: *Eines Schwedischen Theologi Kurzer Bericht von Pietisten*, in lucem emiserat, sermonem instituyente, *DIPPELIVS* quasi indignabundus surrexit, & e suppellectile sua libraria scripti cuiusdam, *MAYERO* oppositi, duo exemplaria hisce suis hospitibus exhibuit, gloriatus, se ita excepisse *MAYERVM*, vt ipse fortassis in posterum cautius esset mercaturus. Quo facto *NOSTER* in sermone vltius pergere instituit; *DIPPELIVS* autem alto suo silentio, & aliis quibusdam signis indicauit, horum hospitem praesentiam sibi molestam esse. Hinc *DIPPELIVM*, quem vix adiuuant, reliquerunt. In itinere suo vltius progressus *NIEHENCKIVS* Wittebergam fausto sidere peruenit. Quoniam autem vesperascente coelo demum eo translatus, subsequente statim die sub lucis ortum propter Generosissimos viae comites iter persequi necesse habebat, imminente propemodum nocte vna cum saepe laudato *DN. PAPKEN* conuenit *Cel. DN. IOH. GEORGIUM NEVMANNVM*, qui hosce hospites non solum peramanter excepit, verum etiam de controuersis, tunc recentioribus, varia erudite disseruit, & vtrique scripta sua eristica, in controuersis istis elucubrata, dono obtulit. Postero die prima cum luce ad castra Potentissimi & vere magnanimi Suecorum *REGIS, CAROLIXII*, contenderunt Generosissimi *DOMINI* a *LAGERSTROEM* cum toto suo comitatu. Hic *B. NOSTER* varia vidit admiratione dignissima, praesertim cum Ipsi contigit in praetorio *REGIS REGEM* conspiciere cibum capientem. Atenim vero quemadmodum *NOSTER* praesertim eum in finem iter ingressus erat, vt cum viris doctis versaretur, & ex eorumdem sermonibus redderetur limatior, non diu in castris commoratus est, sed mox Lipsiam petiit. In hoc foecundissimo eruditorum hominum seminario, *NOSTER* multa inuenit, quae ipsius desiderio fecerunt satis. Inter ea, quae Ipsi cum viris eruditis ibidem interceserunt, maxime depraedicat humanitatem *DN. GOTTL. FRID. SEELIGMANNI*, tunc Magnifici *RECTORIS* officio in ista Academia fungentis, qui pro suo adfectu, in Almam Rostochiensem propensissimo, omnia maxima minima, quae Rostochii gererentur, cognoscere cupiens, multas horas suauissimo colloquio cum *NOSTRO* consumsit. Depraedicat candorem *DN. IOH. SCHMIDII*, qui, quemadmodum *op. dogmaticas* erat amantissimus, ita cum *NIEHENCKIO* multa de purioris doctrinae hostibus eiusque propugnatoribus locutus, suo sermone maximum orthodoxiae amorem prae se tulit. Depraedicat comitatem *DN. THOMAE ITTIGII*, qui instructissimam suam bibliothecam *NOSTRO* lustrandam (perlustrari enim propter temporis angustiam

stiam haud poterat) exhibuit. Lipsiam cum salutasset NIEHENCKIVS, iter eo, vnde profectus erat, reflexit, & quae DEI gratia fuit, sospes atque incolumis Academiae redditus est Gryphiswaldensi. Ea autem, qua coeperat, via in studiis perrexit, & quod reliquum erat temporis, in hac Academia consumendi, augendae & amplificandae eruditioni suae prudenter impendit. Tandem patrios reperit lares, & multis doctrinae thesauris locupletatus, in maximam optimorum Parentum laetitiam Rostochium rediit. Ex eo tempore patria NOSTRI dulcissima fructus ex Ipsius eruditione cepit vberimos. Non solum enim Venerando Patri, senio iam confecto & deterioris aetatis incommoda in dies magis magisque sentienti, frequentes habendo conciones alleuamentum attulit; verum etiam aliis eruditionis speciminibus huic Musarum sedi ornamento fuit & vtilitati. Silentio iam praetermitto, B. NOSTRVM opponentium subsellia ex eo loco, quem Magistri & Facultatum Candidati occupare solent, tam frequenter animasse, vt tandem huius negotii fatietas (ex propria Beati confessione haec addo) Ipsum ceperit. Adfunt alia eruditionis & diligentiae argumenta, quae B. NIEHENCKIO laudem pepererunt & nominis celebritatem. Ad famam, sed honestam, Ipsi profuit Schediasma illud, quod *de Fama & Vita Nobilium Theologorum* consignauit & publicae luci exposuit. Non mediocris quoque ad Ipsius gloriam facta est accessio, cum concionem sacram, in Euang. Domin. Iudica Ioh. VIII. v. 46. sqq. in splendido templo Mariano publice recitam, deinceps autem variis monumentis & additamentis aduersus pessimos Atheos, & Religionis Christianae irrisores auctam, sub rubro: *Atheisticum Iudaeorum Cordiloquium: Iesus non est DEVS*, siue, vti titulus in vernacula nostra fuit: *Der unweisen Juden Herzens-Gespräch: Iesus ist kein Gott*, anno 1714. typis excubiri curauit. Instruxit quippe B. FECHTIVS hocce scriptum praefatione quadam, in qua virtutes & eruditionem NOSTRI exquisitis verborum encomiis ornat.

Haecenus memores exstitimus B. NIEHENCKII, dum eius natales, studia, peregrinationes & merita, officium publicum antegressa, cognouimus. Proximum est, vt ea, quae ad sacrum officium Ipsius & rem familiarem spectant, paullo curatius lustremus. Haec vero si considerabimus, non deerunt, quae fidem, pietatem, patientiam & alias doctoris huius virtutes nobis in imitationem ob oculos ponent. Ad domestica NOSTRI quod attinet, primo quidem nobis commemorandus est casus ille illaetabilis, quo morte Ipsi vterque Pater ereptus est. Anno enim MDCCXIV. die 25. Maii Venerandum Patrem, & anno proxime sequente MDCCXV. dulcissimam quoque Matrem amisit. Qua animi patientia duplicem hunc casum acerbiorum pertulerit, illi norunt, quibuscum tunc amicitiae officiis coniunctissime vixit. Quemadmodum vero blandi post nubila soles, ita quoque orbitatem NOSTRI & luctum candida secuta sunt fata. In primis vulnere, ex Parentum morte accepto, remedium, & dolori alleuamentum allatum est efficacissimum, cum NOSTER Virgini Lectissimae, & virtutibus, sexum sequiorem ornantibus, tunc maxime praefulgenti, matrimonii foedere iunctus fuit. Postquam enim anno MDCCXV. die Mercurii, qui Dominicam XXIII. post

C

post

post Trinit. sequebatur, per suffragiorum pluralitatem Diaconus templi Mariani electus fuerat; anno subsequente MDCCXVI. die 16. Ian. tori & vtriusque fortunae sociam sibi elegit *Virginem Praenobilissimam omnibusque sexus sequioris ornamentis condecoratissimam*, DRVDAM LVCRETIAM SIRICIAM, *Viri Summe Reuerendi, Excellentissimi atque Doctissimi*, DN. MICHAELIS SIRICII, *SS. Theol. Doctoris, & Serenissimi Ducis Megapolitani*, GVSTAVI ADOLPHI, *Concionatoris Aulici Primarii Religiosissimi, nec non Consilarii Ecclesiastici Grauisissimi, & deinceps etiam in Academia Rostochiensi SS. Theol. Prof. Publ. Ord. Meritissimi, Consistorii Ducalis Adfessoris & Superintendentis per circulum Rostochiensem Vigilantissimi, filiam Lectissimam*. Obtinuit etiam NOSTER in hocce Matrimonii foedere eam, quam spe & votis omnibus conceperat, iucunditatem pariter ac felicitatem. Vt vt enim summus rerum arbiter, DEVS, pro sua sapientia hocce coniugium sine prole esse voluerit, tamen non defuerunt aliae felicitates, quae in matrimonio magnopere expetuntur. Si animorum concordiam, si consuetudinis dulcedinem, si fidei coniugalis constantiam, si facultatum vbertatem, si alia prosperitatis genera spectes, hocce matrimonium merito dixeris felicissimum.

Sed nos etiam ad considerationem sui vocat publicum, quo B. NOSTER functus est, officium. Quod NIEHENCKIUS labente prope modum anno MDCCXV. ad hanc spartam Ecclesiasticam vocatus sit, iam supra obseruauimus. Acceperat vero inter verbi diuini Ministros, coetui Mariano praefectos, eum locum, quem *Vir Summe Reuerendus, Excellentissimus atque Doctissimus*, DN. IOH. IOACH. WEIDNERVS, *SS. Theol. Doctor & deinceps eiusdem Professor Publ. Ord. celeberrimus*, suo ad Pastorum Marianum transitu vacantem reliquerat. Et hoc quidem modo NOSTER Beato suo Parenti in officio omnino successit, licet in Ipsius locum, (hunc enim modo laudatus WEIDNERVS iam obtinuerat) non fuerit subrogatus. Reliquum est, vt alia, huc pertinentia, animo contemplemur. Hic primo quidem se offert ordinationis ritus, anno MDCCXVI. die 22. Ian. solemniori modo peractus, quem die 29. eiusdem mensis excepit publica ad hocce officium introductio. Nihil iam restabat, quam vt NOSTER demandati officii partes DEO duce, auspice & moderatore in se susciperet. Hinc paucis diebus interiectis die scilicet 2. Februarii, in festo Purificationis Mariae, auspicalem concionem, deinceps typis expressam, sub titulo: *Johannes, der von Gott zu lehren gesandte Priester-Sohn*, in frequentissimo Ecclesiae coetu habuit. In ipsis sacri muneris partibus obeundis talem se vbique praestitit B. NIEHENCKIUS, nihil vt iam se desiderari passus sit. Et quemadmodum purioris doctrinae amor Ipsi a Praeceptoribus, supra laudatis, sedulo fuit inculcatus, ita nihil vquam docuit, nisi quod sacris litteris omni ex parte fuit consentaneum. Sic etiam in administrandis sacramentis exercendaque clauium potestate CHRISTI institutio & ordinatio norma Ipsi fuit exactissima. Temporis & paginae angustia non permittit, vt in commemorandis ipsius virtutibus simus prolixiores. Alias diceremus, Ipsum ad veritates diuinas auditoribus suis inculcandas, ad pietatem instillandam,
ad

ad virtutes corroborandas, ad vitia extirpanda, ad dolorem atque luctum afflictorum leuandum, tantam contulisse industriam, quanta illa, cum summa est, esse solet. Diceremus, maximam adfuisse moderationem, cum irascendum muneris causa fuit & vitii indignandum. Diceremus, Ipsum multorum inuidiam, iniurias atque calumnias, veteres illos virtutum hostes, animo tulisse aequissimo. Diceremus de ipsius parsimonia & frugalitate, ita quidem attemperata, vt ab omni luxu abesset, & tamen in egenos, in exules, in alios fortuna offensos singulari propenderet liberalitate & misericordia. Paucis vt nos expediamus, NIEHENCKIVS fuit Vlr antiqua fide, incorruptaque morum integritate, & talis verbi diuini Minister, qui typus gregis, 1. Tim. IV. v. 12. qui exemplo Pauli sine offensione, 1. Cor. X. v. 32. 33. Merito itaque auditores suos excitare poterat illis Apostoli verbis: *Simul imitatores mei estote, fratres, & spectate eos, qui ita ambulant, sicut habetis typum nos, Phil. III. v. 17.* Aequum itaque erit, vt cohortationem oraculi diuini, supra adducti, nobis in memoriam reuocantes, fidem reliquasque doctoris nostri virtutes sedulo imitemur.

Tandem etiam ad exitum conuersationis, hoc est, beatum Nostri doctoris atque ductoris ex hac vita egressum mentis & oculorum aciem conuertere debemus. Praecipit diuinae epistolae ad Ebraeos auctor l. c., vt Ebraei exitum conuersationis ductorum suorum attento mentis oculo lustrent, iustaque animi aestimatione metiantur. Participium enim *ἀναθεωροῦντες* dum adhibet, iteratam & huc vsque intermissam considerationem postulat. Quod vt in nostram scriptum est aedificationem, ita etiam nos huic mandato obsequi debemus. Nobis vero mentionem facturis eorum, quae ad discessum NIEHENCKII ex hac vita beatissimum attinent, de prodromo mortis, morbo scilicet fatali, dicendum. Huius autem historiam Praenobilissimus, Experientissimus atque Doctissimus DN. STEVERVS, Medicinae Doctor celeberrimus & Practicus felicissimus, Fautor & Amicus noster Certissimus, hisce consignauit verbis:

Phthisin, cum difficulter cognoscitur, facilius curari, facile vero cognitam difficilius, imo nunquam tolli, quotidiana experientia confirmat; incipientis enim signa cum vix dantur, confirmatae econtrario diagnosis attentum animum raro fallit. Si Hippocratem audiamus, ad hunc morbum ex effato illius dispositi magis sunt, qui pectus a natura depressum & angustum obtinent, quibus scapulae prominent, & collum oblongum est. Talem habitum nactus Beate Defunctus a plurimis jam annis febris quoque hecticae indicia non obscura sensit, sibi interea & a-

liis bene valere visus est, cum arduum & terribile hoc malum, quod hominibus admodum exosum est, quia communiter funestum nanciscitur eventum (ut cum Cel. D. Alberti loquar) lento procederet gradu. Manifesta vero magis latentis pulmonum labis sese prodebant signa, cum sub initium mensis septembris a. p. aeger conquereretur de tussi per intervalla magis magisque increbescente, atque spumescentem saniosam materiam eiciente; aderat praeterea omnium functionum animalium alteratio & debilitas, corporis emarcescentia, febris hectica per tempora superveniens iterumque cessans, virium lapsus, somnus inquietus, aliaque multa pathemata. Contra haec mala convenientibus quidem remediis pugnatum est per aliquot menses, nec sine notabili levamine: Ast ingruente solstitio hiemali omnia in pejus ruere ceperunt. Accessit enim febris, non novus quidem morbus, sed phthiisos confirmatae signum celeberr. Anglorum medico Mortono putrida intermittens dicta: Haec aegrotum nostrum plane in lectum conjecit & viribus exhaustit. Itaque sub novi anni initium adscitus quoque est Vir Praenobiliss. atque Experientissimus D. D. BVRGMANN, Practicus hujus loci famigeratissimus, Fautor & Cognatus meus aestumatissimus, ut collatis consiliis chronico & difficili morbo medelam quaereremus; nec aliquid fuit intermissum eorum, quae ars in tali casu subministrare valet. Sed vicit morbi vehementia: increvit nempe febris, excretio per tussim aegre successit, aucta est pectoris angustia cum respirationis difficultate, & appetitus omnino fuit prostratus. Cessante ergo sensim actione, per quam est vita, respiratione scilicet & nutritione, ipsa demum vita cessavit. Die nimirum 16 Febr. hora matutina octava Vir meritis in Ecclesiam & antiqua virtute ac fide venerabilis, animam corporis infirmitatibus superiorem & sibi per omnia constantem, pie placideque Creatori suo reddidit.

Ex hocce testimonio, fide dignissimo, cognouimus, quodnam morbi genus desideratissimo Nostro NIEHENCKIO finem vitae attulerit. Nunc etiam, quo animo imminentem expectauerit mortem, dispiciemus. Cum etenim morbi pertinacia non dubitanter praesageret,

ret, non longe abfore decretorium tempus, quod candidam animam,
exuuiis corporis ereptam, CHRISTO Saluatori esset adducturum; &
posthabitis omnibus cogitationibus terrenis id tantum egit, vt ani-
mam suam DEO amatam, DEOque deuotam, coelo, vnde acceperat,
redderet. Quod vt eo rectius à nobis intelligatur, citetur testis omni
exceptione maior, *Vir Plurimum Reuerendus, Religiosissimus atque Doctissi-
mus DN. IOACH. WILH. GERLINGVS, Philosophiae Magister Prae-
cellentissimus, & Ecclesiae Marianae Pastor Vigilantissimus, Fautor atque
Amicus Noster longe Aestumatisissimus, cuius verba, antegressam mortis
meditationem & beatam NOSTRI analysin indicantia, ita fluunt:*

*Egressum Colendissimi quondam Collegæ prob! defun-
di ex hacce miseriarum valle, quatenus quidem animæ concernit
statum, cum delineare iubeat, vix illud dolor ex obitu tam piæ
Collegæ mihi natus permittit. Quid etiam aliter a Viro, qui
recte credidit beneque vixit, putandum, quam quod beate sit mor-
tuus? Multum jam temporis spatium à Beato Nostro, ante-
quam decumberet, mortis meditatione fuit consumptum; Etsi enim
lecto nondum affixus, muneribus sacris, quæ illi incumbebant,
strenue adhuc fungebatur, mortem tamen mox mox accedentem,
imbecillitatem forsitan corporis sentiens, sibi sæpius fuit augura-
tus. Adproperabat quoque morbus, corpus quam diutissime
vexans, sed animo jamjam parato nuntius tremendus non erat,
quemadmodum nec ultima hora fuit tremenda, sed expectata.
Sub initio itaque morbi quotidie ingravescentis sacra synaxi
animam refici curavit, voluntati diuine de cætero se commit-
tens. Quanta fiducia Redemptorem suum durante morbo sit
amplexus, quanta patientia animique constantia corporis cru-
ciatus & pectoris angustias tulerit, quantoque desiderio abeun-
di flagrauerit, vix verbis exprimendum est. Quoties eum in-
visi, toties deprehendi cælestia cupientem mundumque spernen-
tem, quod desiderium crescente langvore indies quoque crevit,
quamvis Spiritus Sancti gratia edoctus voluntati Creatoris in
omnibus se tradere haud destiterit. Probe autem memor, media
Salutis ad fidem excitandum pariter ac corroborandam à DEO
esse constituta, non meis solum sermonibus ex verbo divino de-
promptis, cupidas præbuit aures, sed, & iterum salutari cœnæ*

Sacram

Sacramento [quod vigesimo, ni fallor, ante emortualem diem fa-
 ctum est] animum refocillavit. Ab eo tempore caelestia gaudia
 adspirans, diurnas nocturnasque anxietates, piis cogitationibus,
 indefessis precibus ac suspiriis sibi faciliores reddere omni cona-
 tu studuit, donec tandem dies ille desideratissimus instaret, qui
 beatam fecit analysin. Noctu accersitus cum ægroti animum ad
 Servatorem crucifixum vocarem, distinctis ille mihi verbis re-
 spondit: **Ich will im Glauben auf Jesu Blut und Wunden
 fröhlich entschlaffen.** Quod cum voto meo comprobassent, ipse mor-
 ribundus, cui tandem difficile fuit loqui, digitis signum crucis
 formabat, ut cognoscerem, se benedictionem desiderare sacerdo-
 talem, qua itaque impertita, eum manibus Redemptoris commen-
 davi. Quoniam autem Beatus optaverat, ut, si fieri posset, sub
 precibus meis & alloquiis animam Creatori redderet, rursus ho-
 ra sexta matutina ad eum accessi, ut in agone constituto solatiis
 divinis adfisterem ad ultimum usque vitæ halitum; sed concio
 ad cætum habenda urgebat regressum, sub quo temporis momen-
 to Beatus noster voti sui compos factus inter adstantium suspi-
 ria placide obdormivit. Bene se jam habet Collega optimus, ei-
 que de summa, ad quam evehctus est, felicitate merito gratulan-
 dum est. Hoc modo dolendum, quod cætus Marianus fidelissimo
 Antistite sit orbatu, Uxor suavissimo marito, Amici amico in-
 tegerrimo, & ego Collega exoptatissimo, quocum per tredecim
 annos, & quod excurrit, conjuncte vixi. Quiescant ossa in
 pace, gaudeat in cælis spiritus.

Addunt, qui B. DEFVNCTO per id tempus, quo vis
 morbi eum lecto adfixum tenuit, frequenter adfuerunt, &
 vltimi etiam agonis exstiterunt spectatores, quod B. NOSTER
 integros dies multasque noctes, quas insomnes duxit, ar-
 dentissimis precibus, ad DEVM fufis, & cantionibus sa-
 cris consumserit. Accepimus etiam, Ipsum magno animi
 ardore magnaue fidei *πληροφορία* ac *παρρησία* ad DEVM accessisse,
 & ex cantico isto: **Ich armer Mensch, ich armer Sünder, &c.**
 verba:

verba: Erbarme dich, erbarme dich, Gott mein Erbarmen
über mich, identidem repetiisse. Ex iisdem testibus cogno-
uimus, Ipsum quotidie maximum solatium, maximamque
laetitiam cepisse ex cantionibus, nunc fidem vndique spiran-
tibus, nunc mortis meditationem suggerentibus, nunc mo-
riendi desiderium indicantibus, praesertim his: **Jesus mei-
ne Zuversicht, und mein Heyland ist im Leben &c.** Item: **Mei-
nen Jesus laß ich nicht, weil Er sich für mich gegeben, &c.**
Item: **Mitten wir im Leben sind mit dem Tod umfangen, &c.**
Item: **Walet will ich dir geben, du arge falsche Welt, &c.**
atque eiusmodi aliis.

O ter & quater beatum DEI ministrum, qui in ve-
stibulo, vt Ebraei aiunt, se praeparauit, adeoque comtus
atque ornatus triclinium intrare potuit! O salutarem mor-
tis meditationem, qua B. NOSTER mortem quasi iam
iam imminentem assidua meditatione sibi iamdudum re-
praesentauit! Quem autem tantopere expectauerat vitae
finem, hunc anno hocce MDCCXXXVIII. die 16. Febr.
ipsa Dominica Quinquagesima circa horam matutinam o-
ctauam in vulneribus dulcissimi Saluatoris beatum obtinu-
it, postquam in hac misera rerum humanarum caligine
LVII. annos, VIII. menses, & 24. dies vixit.

Gratulamur itaque B. NOSTRO NIEHENCKIO
cursum, quem feliciter consummauit, gratulamur Ipsi im-
marcessibilem gloriae coronam, quam verbi diuini Ministri,
vere credentes & officio suo strenue fungentes, ceu donum
gratuitum, à CHRISTO, Pastorum Principe, accipient,
I. Pet. V, v. 4.

DEVS vero omnis consolationis MATRONAE
Honoratissimae, VIDVAE ex Coniugis Amantissimi obitu
D 2 Adfli-

Adflctiffimae, nec non reliquae FAMILIAE Splendidiffi-
mae, hocce funus luctu atque lacrumis profequenti, folatio
adfit efficaciffimo.

Nostrum vero erit, CIVES O. O. HONORATIS-
SIMI, vt memoriam NOSTRI NIEHENCKII fideliter
custodiamus, eius fidem atque virtutes, quantum fieri
potest, imitando exprimamus, & beatam ipsius mortem
nobis perpetuo ob oculos ponamus, donec etiam
vitae nostrae imponatur
finis.

P. P. SVB. SIGILLO RECTORALI
A. O. R. MDCCXXXVIII,
die 12. Martii,






[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



LBMV Schwerin 33
000 184 241





ud poterat) exhibuit. Lipsiam cum salutasset NIEHENCKIVS, iter
 e profectus erat, reflexit, &, quae DEI gratia fuit, sospes at-
 olumis Academiae redditus est Gryphiswaldensi. Ea autem,
 erat, via in studiis perrexit, &, quod reliquum erat tempo-
 ce Academiae consumendi, augendae & amplificandae eruditi-
 prudenter impendit. Tandem patrios reperit lares, &, mul-
 inae thesauris locupletatus, in maximam optimorum Parentum
 Rostochium rediit. Ex eo tempore patria NOSTRI dulcissima
 ex Ipsius eruditione cepit vberimos. Non solum enim Vene-
 atri, senio iam confecto & deterioris aetatis incommoda in dies
 agisque sentienti, frequentes habendo conciones alleuamentum
 verum etiam aliis eruditionis speciminibus huic Musarum sedi
 ato fuit & vilitati. Silentio iam praetermitto, B. NOSTRVM
 tium subsellia ex eo loco, quem Magistri & Facultatum Candi-
 pare solent, tam frequenter animasse, vt tandem huius negotiū
 ex propria Beati confessione haec addo) Ipsum ceperit. Ad-
 eruditionis & diligentiae argumenta, quae B. NIEHENCKIO
 ceperunt & nominis celebritatem. Ad famam, sed honestam,
 uit Schediasma illud, quod *de Fama & Vita Nobilium Theologorum*
 icae luci exposuit. Non mediocris quoque ad Ipsius
 ccessio, cum concionem sacram, in Euang. Domin.
 16. sqq. in splendido templo Mariano publice recita-
 m variis monumentis & additamentis aduersus pesti-
 eligionis Christianae irrisores auctam, sub rubro:
 m *Cordiloquium: Iesus non est DEVS*, siue, vti titulus
 fluit: *Der unweisen Juden Herzens-Gespräch: JE*
 anno 1714. typis exscribi curauit. Instruxit quippe B.
 riptum praefatione quadam, in qua virtutes & eru-
 exquisitis verborum encomiis ornat.

nemores exstitimus B. NIEHENCKII, dum eius na-
 rinationes & merita, officium publicum antegressa,
 imum est, vt ea, quae ad sacrum officium Ipsius & rem
 , paullo curatius lustremus. Haec vero si confide-
 nt, quae fidem, pietatem, patientiam & alias doctoris
 s in imitationem ob oculos ponent. Ad domestica
 et, primo quidem nobis commemorandus est casus
 morte Ipsi vterque Parens ereptus est. Anno enim
 Maii Venerandum Patrem, & anno proxime sequente
 mam quoque Matrem amisit. Qua animi patientia
 um acerbiorum pertulerit, illi norunt, quibuscum
 ciis coniunctissime vixit. Quemadmodum vero
 oles, ita quoque orbitatem NOSTRI & luctum can-
 a. In primis vulnere, ex Parentum morte accepto,
 ori alleuamentum allatum est efficacissimum, cum
 ectissimae, & virtutibus, sexum sequiorem ornan-
 e praefulgenti, matrimonii foedere iunctus fuit.
 o MDCCXV, die Mercurii, qui Dominicam XXIII.
 C post

